


DISQVISITIO IVRIS GERMANICI
DE
FEVDO MANVALI
VVLGO
Vom Hand-Lehen;
QVAM
PRAESIDE
FRANC. CAROLO CONRADI
SERENISS. BRVNSVIC. AC LVNEB. DVCI A CONSIL. AVL.
IN ACAD. IVLIA CAROL. ANTEC. ORDIN. ICTOR.
SENIORE ET H. T. DECANO
AD D. XXI. IVNII AN. M DCC XXXXVII.
IN IVLEO MAIORI
PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT
IVSTVS FRID. LVDOV. ENGELBRECHT
HELMSTADIENSIS.



HELMSTADII REC. AN. M DCC L.





DISQVISITIO IVRIS GERMANICI
DE
FEVDO MANVALI.

I.
OCCASIO DISQVISITIONIS.



Quid ſit FEVDVM MANVALE, in ſeculi tertii decimi charta memoratum, neque aliunde cognitum, quaeſitum fuit in QVOTIDIANIS, quorum vtilitas BRVNSVIGAE ordinata, maximo litterariae non minus, quam ciuilis reipublicae commodo procuratur. Eam quaeſtionem, quae ante biennium propoſita *a*) iam aliorum ingenia exercuit, ſi enodan-

a) In *den Braunſchweigiſchen Anzeigen A. MDCCXXXXV. p. 657.*

dandam hac disquisitione reciperemus, operae pretium nos facturos existimauimus. Erimus itaque solliciti, vt iuris beneficiarii placitis ac formulis consentaneam FEVDI MANVALIS explicationem in medium proferamus.

II.

CHARTA SECVLI XIII. IN QVA MENTIO FIT FEVDI MANVALIS.

Vt ipsius chartae, cum FEVDI MANVALIS, tum aliarum rerum mentione insignis, tenor statim inspici & cum argumentis eius, quae deinde subiiciemus, conferri possit, integram hic apponere iuuat, qualis olim ex archetypo descripta et cum legitima sollemnitate transsumta, nunc in Quotidianis Brunsuicensibus *b*) legitur.

SIFRIDVS *Dei Gratia Sanctae Coloniensis Ecclesiae Archiepiscopus, Sacri Imperii per Italiam Archicancellarius, vniuersis praesentes literas visuris notum esse volumus, quod Nos literas patentes super ordinatione et contractu inter venerabilem matronam Methildem olim Comitissam Seynensem ex vna*

b) Hoc anno, *Num. IIII. p. 68. sequ.* Prodiit olim inter adiuncta *des Gründlichen Berichts und Beweises in Sachen Graf Ernst zu Sayn und Witgenstein contra Chur-Trier.* Extat quoque, sed non sine plurimis mendis, in LÜNIGII *Teutschen Reichs-Archiu Spicileg. Secul. P. II. p. 982.*

vna parte et nobiles viros fratres de Spaynheim ex altera confectas et traditas, non cancellatas, non abolitas, non in aliqua sui parte vitiatas, legimus et vidimus in hunc modum: In nomine Dei aeterni Amen. Ne gestarum rerum memoria processu temporis euanescat et pereat, discretorum virorum prudentia solet eam per litteras aeternare. Sciant ergo tam praesentes quam futuri, quod nos fratres de Spaynheim, Iohannes Comes, Heinricus Dominus de Heynsberg, Symon et Euerhardus a venerabili Domina nostra Methilde Comitissa Seynensi relicta auunculi nostri Heinrici, Comitis Seynensis, recepimus gratiam talem. Cum enim ipsa secundum dispositionem et voluntatem vltimam eiusdem auunculi nostri, omnia feoda sua tam castra, quam alia potuisset diebus vitae suae in potestate sua et possessione tenuisse, tamen propter dominum et preces nostras et amicorum nostrorum dimisit ea extra suam possesfionem, et nos subintrauimus, sicut idem statuit auunculus noster et ordinavit. Haec scilicet, castrum et oppidum Blanckenburg cum feodis attinentibus, castrum et oppidum Hachenberg cum feodis attinentibus, castrum Vroizberg, quia feodum est, eo tamen modo et forma, quae inter nos et ipsam est tractata. Castrum Saine cum suis attinentiis: praeter illa quae auunculus noster pro anima sua ibidem legavit, scilicet vineas suas et curiam et ea quae pertinent ad ipsam. Item castrum Saffenberg cum feodis attinentibus. Castrum Hilkerode cum feodis attinentibus, comitiam de Hademarek, Aduocatiam de Bunne et similiter omnes Aduocatias et Comitias, quas habuit auunculus noster. Ipsa vero praedicta Comitissa sibi retinuit in sua potestate dominio et possesfione omnia allodia et bona haereditaria, quae auunculus noster, quum ipsam duxit vxorem, habebat. Item retinuit sibi omnia bona tam allodia, quam feoda, quaecunque ipsa et auunculus noster communi pecunia

com-

comparарunt. Et quia nobis tam voluntarie quam benigne dictam fecit gratiam, nos habito consilio prudentum promittimus sibi stipulanti solenniter a nobis, quod ipsam in iam dictis bonis, quae sibi retinuit, nunquam impediemus, nunquam inquietabimus, nunquam iniuriam sibi faciemus aut grauamen. Item promittimus, quod non permittemus ipsam in dictis bonis ab aliquo praegrauari. Imo defendemus ipsam in eisdem efficaciter prae quolibet iniuriatore, et si in hoc remissi fuerimus aut negligentes, promittimus sibi reddere et soluere omnia damna, quae exinde sustinebit, dolo et fraude vndique exclusis. Item promittimus si probabiliter et rationabiliter in posterum scire poterimus, quod eorum bonorum, quae nobis sunt dimissa, vt est iam dictum, aliqua possideamus iniuste, illa restituemus, sicut auunculus noster ante mortem suam ordinauit. Item promittimus, quod terram hanc nobis dimissam tenebimus sine exactionibus et iudiciis iniustis, nisi de consilio prudentum iustitiam diligentium aliter faciamus. Item placet nobis et consentimus expresse, quod omnia bona siue allodia, siue feoda siue haereditaria, quae dicta Comitissa et auunculus noster communiter emerunt, illa sibi retineat Comitissa ad omnia iura sua. Item promittimus omnia, quae auunculus noster pro anima sua legauit, rata habere, et eorum executionem non impedire. Item promittimus, quod de castris et munitionibus nobis dimissis non faciemus contra Ecclesiam Sanctam Dei. Item placet nobis et consentimus expresse, quod dicta Comitissa retineat in sua potestate Castrum Lewenberg, quamdiu vixerit ipsa et homines, quos ipsa statuerit in turri ibidem, sibi faciant fidelitatem consuetam. Et iurabunt sibi et nobis, quod illud castrum nobis reddent et haeredibus nostris post mortem Comitissae. Ipsa etiam poterit illos a turri amouere pro sua voluntate, et alios in eorum locum substituere, qui etiam substituti

ſtituti ſibi et nobis ſimile faciant iuramentum. Item placet nobis, quod ipſa retineat ad opus ſuum quamdiu vixerit domum et cellarium, quod auunculus noſter aedificari fecit apud Blanckenberg prope tiliam, et quod ſimiliter habeat hortum et curiam extra muros ibidem. Item placet nobis, quod ipſa retineat ad ſeruitium ſuum advocatum de Hunephe et Hermannum de Welderichouen, quamdiu voluerit ipſa. Item conſentimus, quod ſicut auunculus noſter ſtatuit, Comitiſſa conſtruat Clauſtrum Monialium Cyſtercienſis ordinis apud Hergingen de domo ſua et area, quam ipſe et ipſa ad domum illam acquiſierunt. Item vt ſedatur diſcordia, conſentimus, quod quamcunque poenam pecuniariam propter exceſſus ſuos incurrerint homines Comitiſſae in noſtra iurisdictione manentes officialis Comitiſſae accipiat, ad opus ſuum. Et quamcunque homines noſtri incurrerint manentes in iurisdictione Comitiſſae officialis noſter accipiat ad opus noſtrum, pro maiori autem delicto, ſicut pro iudicio colli et capitis et ſimili, ipſa iudicet in ſua iurisdictione de quolibet et nos ſimiliter in noſtra. Item promittimus, quod omnibus, quibus auunculus noſter aliquid promiſit Homagii cauſa et non ſoluit, ſatis faciemus. Ita quod Comitiſſa exinde nullum damnum ſentiat, aut grauamen. Similiter faciemus illis, qui receperint damna in auunculi noſtri expeditione. Similiter faciemus illis, quibus auunculus noſter ſubſidium promiſit ad dextrarios emendos et arma praeparanda. Item promittimus eam quitare ab omni feodo manuali. Item placet nobis, quod piſcator Comitiſſae piſcetur in aquis noſtris quandocunque volet ipſa. Item conſentimus, quod ſi Comitiſſa inceperit agitare, quod vulgariter dicitur Sprengen, aliquam feram in terra ſua velſyluis ſuis, quae vulgo Wildban dicuntur, et illa in terra noſtra vel ſyluis noſtris Wildban vocatis capta fuerit, ſua erit. Similiter ſi fera fuerit

fuerit agitata in terra nostra vel Wildban *et in terra Comitissae vel sylvis suis* Wildban *dictis capta fuerit, nostra erit, haec similiter obseruabuntur si homines Comitissae de mandato suo agitauerint, vel nostri homines de mandato nostro agitauerint. Item placet nobis quod ipsa domum suam et curiam, quam aedificat prope sanctam Katerinam in Blanckenberg libere transferat ad quem velit. Item consentimus, quod ipsa assignet de censibus domorum in Blanckenberg, duodecim solidos Colonienses annuatim in perpetuum soluendos Plebano de Okerode propter diuisionem Ecclesiae Sanctae Katarinae in Blanckenberg, ab Ecclesia Okerode factam. Item promittimus esse fauorabiles, et promotores Claustrorum religiosorum, quae construi fecerit auunculus noster et dicta Comitissa et quae similiter sita sunt in terra sua vel nostra. Omnia vero praedicta promittimus obseruare, nisi dicta Comitissa aliquem vel aliquos praedictorum articulorum remiserit nobis. Vt ergo omnia praedicta, sicut sunt praedicta, in posterum inuiolabiliter obseruentur, hanc cartam exinde conscriptam sigillorum nostrorum munimine fecimus consignari. Insuper dedimus eidem Comitissae fideiussores, quorum nomina infra sunt subscripta; qui Comitissae stipulanti solenniter promiserunt, si nos contra praedictam formam venerimus in toto, vel in parte, ipsi monebunt nos, vt infra duos menses id plene emendemus: quod si non fecerimus, fideiussores ex tunc moniti ex parte Comitissae intrabunt villam suam Lynse, inde non recessuri, nisi ex parte nostra eidem Comitissae, sicut est praedictum, fuerit satisfactum. Si vero fideiussorum aliquis rationabiliter ostenderit, se propter metum corporis aut rerum ibidem manere non audere, intrabit alias, vbi voluerit Comitissa, dummodo id sit in terra sua vel nostra; quilibet etiam fideiussorum se in solidum obligavit ita, quod mors vel absentia pluri-*

plurium vel vnius, ceteros nullatenus releuabit, non excusabit. Insuper nos iurauimus praedicta firmiter obseruare, insuper si aliqua praedictorum refregerimus, non emendauerimus, vt est iam dictum, eligimus, quod dicta Comitissa Domina sit allodiorum, quae auunculus noster habuit, cum ipsam duxit, eiusque scilicet partis, quae ad nos spectat et de his faciat, vt de suis bonis. Item eligimus, quod ab omni iure, quod habemus in castro Loewenberg, cadamus et in eo succedat Comitissa loco nostri et facere possit libere de illo castro sicut de aliis feudis suis. Item eligimus, quod Archi-Episcopus Coloniensis, quicunque fuerit pro tempore, sine citatione possit nos excommunicare et terram nostram sub interdicto ponere, quando ab ipso id requisierit Comitissa. Omnia vero praedicta promittimus obseruare, dolo, fraudibus, cauillationibus et captionibus vndique exclusis. Sunt autem haec nomina fideiussorum, Euerhardus Comes de Euerstein, Heinricus Burggrauius Coloniensis, Philippus Dominus de Wildenberg, Heinricus Aduocatus de Hachenberg, Ernestus de Virnenburg, Giselberdus de Seyna, Hermannus de Winnir, Thomas de Siteiri. Testes enim sunt fratres: Gerardus de Diez, Godefridus et Gerlacus fratres de Otgenbach, Walpodo, Gerardus de Renneberg, Gobelinus de Blankenberg, Thilmannus de Porta, Heinricus de Tunis et ceteri plures. Acta sunt haec solenniter in oppido Blankenberg, anno Domini M CC XL. septimo in die Decollationis Iohannis Baptistae. In huius autem rei testimonium praesentem literam ex origenali de verbo ad verbum transscriptam sigilli nostri munimine duximus roborari. Datum anno Domini M CC LXXX.

III.

ARGVMENTA CHARTAE INDICANTVR.

Exhibet igitur charta haec conventionem, anno MCCXXXXVII. a Iohanne Comite, Heinrico Domino de Heynsberg, Simone et Euerhardo fratribus de Spanheim cum Mechtilde, auunculi sui Heinrici Magni, Comitis Saynensis, vidua initam. Profitentur illi, quum Comitissa secundum ordinationem supremam auunculi sui omnia feuda, tam castra, quam alia, ad dies vitae in potestate et possessione retinendi facultatem habuisset, eam tamen dimisisse illa ex possessione, seque in hanc subintrasse. Enumeratis deinde feudis, porro profitentur, Comitissam sibi retinuisse in sua potestate, dominio et possessione omnia allodia et bona hereditaria, quae mariti fuerint nuptiarum tempore, tum vero omnia bona, tam allodia, quam feuda, quae stante matrimonio ipsa cum marito ex communi pecunia comparauerit. Postquam Comitissae quietam horum omnium possessionem, huiusque securitatem ac defensionem promiserunt, et post alia conuentionis capita, spondent, se omnibus auunculi sui vasallis, quibus ipse aliquid

promi-

promiserit vasallagii caussa, necdum solverit, satis facturos, idemque praestituros illis, qui damna perpessi fuerint in eius expeditione, neque minus illis, quibus ipse subsidium ad dextrarios emendos et arma praeparanda pollicitus sit. Promittunt denique, *se eam quitare velle ab omni* FEODO MANVALI: cui clausulae plura capita, sed nihil ad eius intellectum facientia, subnectuntur.

IIII.

FEVDVM MANVALE AN IDEM, QVOD DICI SOLET HANDLEHEN.

Nihil planius videri poterat, quam *feudum manuale* in hac charta dici, quod Germanice *Handleben* appellatur. Sed nec huius appellationis vna significatio traditur. Aliter enim SPEIDELIVS in *Speculo h. v. p. 565.* aliter BESOLDVS *Consil. Tubing. Parte VI. Consil. CCLXVIIII. p. 71.* eam explicant. Ille quidem *Handlehen* vocari notat, *quod immediate* DE MANV DOMINI *per vasallum, non mediante scilicet procuratore vel substituto aliquo, ex pacto singulari accipitur, et iuramentum fidelitatis non nisi ab ipso vasallo praestatur.* c) Hic

 vero

c) Vid. *Braunschw. Anzeigen A. M.DCC XXXXV. p. 1601.*

vero eo nomine significari docet feudum, de quo, iurisiurandi praestatione remissa, fides clientelaris data dextra, *mittelst eines Handstreiches*, promittitur: quae feudorum impropriorum species *feudum iniuratum* vocari solet, quoniam vt *II. F. 3. f.* describitur, *eo pacto acquisitum est, vt sine iuramento fidelitatis habeatur.* Praeclare *de Feudo iniurato*, *vulgo Handleben*, conducta exemplorum illustrium et memorabilium copia, disseruit celeberrimus BVDERVS *Amoenit. iur. feud. c. VIII.* Verum enim vero verba conuentionis in charta nostra: *Promittimus eam quitare ab omni feodo manuali*; luculento indicio sunt, significari onus aliquod, siue praestationem, a cuius nexu et obligatione liberatio Comitissae promittitur, cui rei neutrum intellectum nominis *Handleben* conuenire nemo non videt. In mentem itaque viro cuidam erudito venit, *feudum manuale* hoc loco positum esse pro *Laudemio*, quod olim forte dictum fuerit *Handlehn*, sed quod nomen recentior vsus in *Handlohn* mutauerit. Ipse vero huic coniecturae parum tribui voluit, donec monumentorum veterum auctoritate firmetur. *d*)

V. AN

d) *Braunschw. Anzeigen ei. anni p. 1997. f.*

V.

AN FEVDVM MANVALE EXPLICANDVM SIT AD INSTAR BENEFICII MANVALIS.

Ecclesiastica beneficia constat habere indolem feudorum, variaque ex institutis militiae secularis in vsum eorum translata, ipsum quoque *beneficii* nomen, beneficiorum militarium imitatione, illis inditum esse. Itaque non improbabili ratione existimatum fuit, *e*) illam *feudi manualis* appellationem forsitan explicandam esse ex natura *beneficiorum manualium*, quae tantum clericis residentibus, et qui diuinis officiis intersunt, conferuntur: quae quum in distributionibus quotidianis, victu et vestitu consistant, alias *victualia* dicuntur, *c. vn. de cleric. non resid. VI.* Sunt enim his beneficiis similia feuda, quae vocantur *de camera* et *de caneua*, quum esculenta, aut potulenta, e camera vel cella domini, beneficii nomine, praesertim officialibus in aula ministrantibus praebentur. Poterant igitur videri fratres de Spanheim dedisse fidem Comitissae, se illam liberaturos esse ab omni huius generis praestatione, vasallis ad feuda sibi cessa pertinentibus facienda. Sane

e) *Braunschw. Anzeigen l. c. et huius anni p. 73.*

et alia, quae defunctus Comes vasallis suis promiserat, soluenda illi receperunt, *ita, vt Comitissa nullum inde damnum aut grauamen persentisceret.* Verum huic quoque coniecturae deest auctoritas, qua in huius generis feudis nomen *feudi manualis* vsurpatum fuisse perhibeatur.

VI.

AN SIMVLTANEAM INVESTITVRAM DENOTET FEVDVM MANVALE.

Eadem difficultas obstat, quo minus *feudum manuale* intelligi commode possit de simultanea inuestitura. *f*) Est quidem vulgatissima appellatio *coniunctae manus, der Gesambten Hand*, quam SCHILTERVS *de Inuest. Princip. Imp. simult. c. 1. §. 4.* illustrat, et in *Jure Feud. Alem. cap. III. §. 3.* dicitur, *entphahen ein lehen mit den Brüdern mit* EINER LEHENSHAND, siue, vt habetur *c, CIII. §. 3. mit* EINS LEHENS HAND, in quibus formulis *coniunctio per simultaneam inuestituram* diserte exprimitur: sed quae ex vocabulis, *feudum manuale*, minime intelligi potest. Accedit, quod in tota charta nullius simul inuestiti mentio fiat, neque appareat, quorsum haec promissio libera-

f) *Braunschw. Anzeigen hui. anni l. c.*

berationis a nexu simultaneae inuestiturae referenda foret, an ad feuda a Comitissa sibi retenta, an vero ad ea, quae fratribus de Spanheim cessit, quod omnino explicare dicendum fuisset. Dabitur itaque locus interpretationi, quae et conuentionis in charta perscriptae tenori, et vniuerso negotio, inter Comitissam et fratres de Spanheim celebrato, commoda aptaque, neque minus perspicua sit, quaeque, vt initio huius disquisitionis proposuimus, iuris et formularum clientelarium auctoritate confirmetur, cuius denique vsus in ipsis rerum argumentis obtineat.

VII.

FEVDVM MANVALE EST, QVOD AD FIDELEM MANVM TENETVR.

Quod in charta nostra caput praecipuum est conuentionis, cessit Comitissa fratribus de Spanheim, tanquam proximis post mortem suam successoribus, omnia, tam castra, quam reliqua feuda, quae ipsa communiter possederat cum marito, et quae post eius obitum tam iure communionis, quam secundum vltimam illius voluntatem, retinere ad vitam potuisset. Postquam vero Comi-

Comitiſſa ea feuda dimiſerat extra ſuam poſſeſſionem, et fratres de Spanheim in eandem ſubintrauerant, ſicut idem auunculus ipſorum, eos in communionem recipiendo, ſtatuerat et ordinauerat: mutata nunc quidem et in illos translata erat poſſeſſio feudorum, nulla vero per hoc mutatio facta iuris et nexus feudalis, quo Comitiſſa Domino in iisdem feudis obſtricta erat. Vt igitur ipſa liberetur ac dimittatur ab omni nexu et obligatione illa feudali, effecturos ſeſe pollicentur fratres de Spanheim, dum *promittunt eam quitare ob omni feudo manuali*, h. e. ab omni vaſallagio, quod, dimiſſa feudorum poſſeſſione et vtilitate, apud ipſam remaneat, et quo ipſa adhuc deuincta, ſecundum antiquam formulam, *feuda iſta ad fidelem manum teneat*, donec ab illo vaſallagii nexu voluntate Domini ſoluatur.

VIII.

FORMVLA, AD FIDELEM MANVM TENERE, EX ANTIQVIS CHARTIS ILLVSTRATVR.

Etenim, ceſſa et translata in alium poſſeſſione feudi, Domino inconſulto, cedens dicebatur *ius feudi ad fidelem manum tenere*, *die Lehen*

Leben zu treuen Haenden tragen, ſiue etiam, *das Gut zu treuer Hand in Lehnes Gewehren halten*, donec, refutatione in gratiam ceſſionarii ſecuta, ſiue inueſtitura, ſiue appropriatio feudi ceſſi eidem fieret. Teſtem formulae illius iam alio tempore, *Exercit. II. de Pacto Fiduciae, in fine*, produximus chartam anno M CC XXXXVIII. confectam, e reliquiis, quas poſſidemus, diplomatarii Vetero - Cellenſis, in qua Reinhardus et Theodericus de Honsberg, ſe villam ſuam ad S. Michaelem Abbati et conuentui Monaſterii perpetuo poſſidendam vendidiſſe, teſtatum facientes, haec ſubiiciunt: *In praefata igitur villa omnimodis nihil iuris ac proprietatis nobis reſeruamus, nec reſeruare volumus, niſi ad ipſius Abbatis et conuentus in Cella inſtantiuam petitionem* iura feodalia, *quae teutonice* die leyn *dicuntur, ſine doli vel alicuius mali admixtione* fideliter in manibus noſtris *ſiue* ad fidelem manum tenere *volumus*, *nichilque nobis iuris vel conſuetudinis in eadem villa conſeruando, ſed praenominato Abbati et conuentui ad poſſidendum, gubernandum, vtifruendum tam diu, donec a Dno Marchione appropriationem ſaepe nominatae villae valeant obtinere. Et pro eadem incorporatione conſequenda et obtinenda praefatum Abbatem*

et conuentum coram Dño Marchione nostris amicorumque nostrorum precibus fideliter promittimus adiuuare. Dignissima porro est, quam ad eandem formulam illustrandam proferamus, sequens charta. *Ek Bosse van Alvensleue heren Bossen sone wonafticb to Arxleue bekenne openbar in dessene iegenwordigen breuc al den de on seen vnn horen lesen dat ik mit rade vnn mit willen vro Ilseben myner moder vnn her Lodewiges van Dorstat mines omes vnn Fritze van Esbeke vnn Boden Hauerlagen hebbe gegeuen deme closter to sunte Mariendal den tegenden to dorp Sigersleue an dorpe vnn in velde mit aller nutb vnn mit allen rechte alse den mine Olderen hebben rawliken beseten vnn my geeruet vmme den halven tegeden to Osteringersleue den dat closter dar van oldere heft gehat mit aller nutb vnn mit allen rechte Vnn dusse wesselinge hebbe ick gedan dorch god vnn dorch myner olderen sele willen alse hir na bescreuen steit. To deme ersten so* sette icke se in de were *des vorgenomeden tegeden to dorp Sigersleue in dissene iegenwordigen breue roweliken vnn ewichliken to besittende vnn willen eren rechte were wesen vor aller rechten ansprake wor vnn wanne se des bederuen vnnd se das van vns osschen Vortmer so* loue ick on en trwen *dat ik disse vorsproken tegenden* wille vplaten myne-

myneme heren van Halberstad myt breue edder myt munde *wanner id van my esschet wert van deme Abte van sunte Mariendal edder van synen truwen boden Vortiner so loue ick deme suluen Abbete vnn Conuente dat ik wil dussen vorgenomden tegeden to dorp Sigersleue en* to truwer hant holden in lenes weren also lang wente se den egendom kunnen erweruen *edder den tegenden eneme anderen laten vnn dar will ik ok ohne myt vlite to helpen des besten des ik mach. Dat ik vorbenomte Bosse dusse vorsprokenen wesselinge vnde alle dusse stucke de in dissen iegenwordigen breue stan stede vnn ganz holden willen dat loue ik in dissem iegenwordigen breue den ik besegelt hebbe myt myneme vnn myner frinde Ingesegelen de hir na bescreuen stan vnde wy her Lodewich van Donstad de eddele vnn Writze van Esbeke vnn Bode Hauerlage Knechte bekennet dat wi alle disse vorscreuene dinghe de gededinget hebben holpen vnn synt des tuge. Dat bewise we myt vnsen Ingesegelen dede wy an dussen iegenwerdigen Breff mit Bossen Ingesegel hebben gehengeth. Nach Gods bort drittein hundert Iar in deme negen vnn vefstigen iare In deme achteden dage der hilligen Apostelen Sunte Peters vnde Sunte Paules.* Addimus memorabilem locum ex Archiepiscopi Magdeburgensis Ernesti Ordinatione ciui-

tatis Halensis, anno MCCCCLXXVIIII, promulgata, *Regiment vnd Ordnung der Stadt Halle*, in LVNIGII *Archiuo Imper. Contin. IIII. Part. II. contin. p. 523.* Tit. VON GETREVER HANDE. *Vnd als denn in vergangen Zeiten viel geschehen ist, daß etzliche im Thal, und auch andere* Lehn-Güter, *von unsern Vorfahren, Ertz-Bischoffen*, zu Lehen empfangen, *aber* die Auslæuffte, Gewehre vnd Nutzungen andern folgen lassen, *vnd solche Lehn-Wahr ohn vnser Vorfahrn vnd unser, als Lehns-Herrn, Willen vnd Vollwort* zu getreuer Hand getragen vnd gehalten haben, *vnd als nu solch Thun wider Recht vnd Seeligkeit derselben ist, haben wir vns mit dem obgenannten vnsern lieben getreuen Rath vnd Bürgern gemeiner vnser Stadt Halle vertragen, vnd vertragen vns gegenwaertiglich in diesem Brieffe, daß solche* getreue Hand *oder* Tragen der Lehn-Güter, daran andere die Gewehre, Auslæuffte oder Nutzungen haben, *nun hinfoerder abstehn vnd von niemand in keinerley Weise mehr geübet werden, sondern ein ieglicher die Güter, daran er die Gewehre vnd Nutzunge hat, wo die mehr dann auf einer Lehns-Erben stehen, zu sich auf sein Leben nehmen, solches in einem Iahre, nach Gebung dieses Brief-*

Brieffes, dem nechsten vngefehrlich geschehen soll.

VIIII.

FIDELIS MANVS IN FEVDIS EST VASALLAGIVM SINE RE, IDQVE FEVDVM MANVALE DICTVM EST.

Ex his iam satis constat, FIDELEM MANVM in feudis significare vasallagium, quod quis sine possessione et vtilitatis perceptione gerit. Tale est *beneficium ad manum alterius alicui homini concessum*, vt dicitur ab *Auctore vet. de Benef. tit. de vrban. benef.* §. *21.* Hinc marito, *ad manum vxoris* inuestito, nullum ius in feudo competere, perhibet *Ius feud. Saxon. c. LXXVI. Hat ez aber der man* zu der Vrouen hant *entphangen vnd anders nicht, nach der Vrouen tode en hat her da nicht rechtes an.* Est enim hoc mariti vasallagium sine re, et opponitur feudo, quod a viro et vxore *coniuncta manu*, *mit eines Lehens Hand*, et aequali iure receptum est, in quo maritus et possessione et vsufructu simul cum illa gaudet, quod perspicue traditur in *Iure feud. Alem. c. CIII. So die frowe tod ist, so het des mannes leben ein ende, er en habe denn dat gut entphangen mit der frowen* mit eines lehens hand, *vnd habe*

ouch das gut mit der frowen genossʒen, so het er recht an leben vnd gute nach der frowen tode. Vnde manifeſtum eſt, feudum, quo vir tantum *ad manum* mulieris inueſtitus eſt, in mero *provaſallagio* conſiſtere, quod nullum in feudo ius inueſtito tribuere oſtendimus in *Diſſert. de Provaſallis*, vbi etiam nomen Prouaſalli vernaculum, *Lehntræger*, a deduximus formula: *Die Leben zu treuen Haenden tragen*, quod egregie confirmant diplomata in Ill. GLAFEY *Anecdotis n. 182. et 323.* Exempla inueſtiturae matri ad manus liberorum, imo et poſtumi, factae ſub illa formula: *die Leben in truwen haenden zu tragen, bis das die Kinder zu ihren Tagen kommen*, dedit SCHILTERVS *de Inveſt. Princip. Imp. ſimult. c. 2. §. 4.* Similis formula inveſtiturae, Iohanni Wildgrauio Dhunenſi factae, *an ſtatt vnd von wegen ſeiner hausfrauen vnd kinder in* TRAGERS WEISE occurit in Ill. DE SENCKENBERG *Select. Iur. et Hiſtor. Tom. IIII. p. 498.* Haud diſſimilia de vicario, qui in bonis meierdingicis ad manum extranei poſſeſſoris inueſtiri ſolet, qui proinde *die getreue Hand* vocatur, nuper animaduertimus in *Diſſert. de Iure retractus in bonis meierding. §. 13. not. a.*) Eſt vtique

eius-

eiusmodi vaſallagii ſine re et provaſallagii ſpecies, quum feudum *ad fidelem manum*, ſiue *ad manum alterius* gerit vaſallus, qui poſſeſſione et vtilitate feudi ſe abdicauit, et vtramque in alterum tranſtulit, dum ipſe adhuc fidelitatis et ſeruitiorum feudalium debito adſtrictus permanet. Eſt itaque huic rei conuenientiſſima omnino formula FEVDI MANVALIS, *eines Handlehens*, quod *ad fidelem manum*, ſiue *ad manum alterius* tenetur, *Lehn ohne Gewehr*, vt vaſallagium a poſſeſſione et vſufructu feudi ſeparatum vocatur in *Iur. feud. Saxon. c. V. et LIX.* et *Iur. feud. Alem c. CVII.*

X.

VTILITAS PACTI DE LIBERATIONE A FEVDO MANVALI IMPETRANDA.

Vaſallos in feudorum alienatione, dum interea poſſeſſionem et vſumfructum eorum cedebant, pacto ſeſe obſtrinxiſſe ad reſignationem Domino quam primum faciendam et vel inueſtituram vel appropriationem nouo poſſeſſori impetrandam, teſtantur ipſae a nobis allatae chartae. Nihil vero tali pacto fratribus de Spanheim opus erat in ceſſione feudorum ſibi facta: quippe illa mere here-

hereditaria fuiſſe, tum Henrici Magni teſtamentum, in quo fratres de Spanheim, ex ſorore nepotes, heredes in feudis iſtis ſcripſerat, tum litterae ſuper prima inueſtitura ab Hillino Archiepiſcopo Treuirenſi datae ac diuiſionum inſtrumenta loquuntur, quae in *Deductione pro Erneſto Comite in Sayn et Witgenſtein contra Archiepiſcopum Treuirenſem anno MDCXXXII. edita*, inde a LVNIGIO in *Archiuum Imperii Part. Spec. Contin. II. p. 397. ſequ.* relata, exhibentur. Poterat itaque Comitiſſa feuda illa, in quibus fratres de Spanheim ex teſtamento mariti ſucceſſuri erant, liberrime in eos transferre, nulla Domino reſignatione facta: neque illis inueſtitura poterat denegari. Hoc tantum intererat Comitiſſae, vt a vaſallagii nexu dimitteretur, eam in fratrum de Spanheim inueſtitura liberari ab omni obligatione manus fidelis et feudi manualis, vtique quum caſtrum Sayne cum pertinentibus, vt ex litteris inueſtiturae conſtat, eſſet ligium feudum: ne inimicitias Domini ſuſcipere eo, quo arctior huius homagii nexus poſtulabat, modo teneretur. Saepe aliter factum, et vaſallum, qui feudum alienabat, facta licet reſignatione, in vaſallagii nexu reten-

tentum, idque in noui possessoris inuestitura diserte cautum esse, docuit SCHILTER *ad Ius feud. Alem. c. LXVIIII.* et confirmant exempla apud SCHANNATVM in *Clientela Fuld. in Probat. 180. 375. et 408.*

XI.

VSVS FEVDI MANVALIS VETVS ET HODIERNVS.

Vsus FEVDI, quale explicavimus, MANVALIS in ipsis rerum argumentis ex eo intelligitur, quod vniuersae fere Germaniae moribus receptum esse animaduertit HORNIVS *Iurisprud. feud. c. 23. §. 13.* ut vasallus, etiamsi feudum vendat, vel alio titulo cedat et tradat, tamen pro vasallo ac domino vtili tamdiu habeatur, donec iure suo diserte et solemniter se abdicauerit, petieritque alterum inuestiri, *bis er die Lehn auffgelassen*, nec emtor, vel alius, antequam id factum, inuestiatur. Quum igitur non *callida*, qualis *II. F. 55.* notatur, *machinatio*, non dolosa, quae *Iur. Feud. Alem. c. CVII. contra ius diuinum et humanum et aduersus fidem vasalli* fieri dicitur, infeudatio suscipiatur, neque animus inuertendi ius Domini, aut contemtus eius appareat, vbi vasallus possessionem feudi sub con-

ditione resignationis in manus Domini faciendae transfert et, vasallagio siue feudo manuali retento, neque ius omne feudi neque obligationem dimittit; extra poenam commissi esse talem feudi cessionem, omnino dicendum est cum HARTM. PISTORIS *Obs. 230. n. 9.* certe a poena feloniae tutus est vasallus, quum feudum sine Domini consensu transfert in proximum successorem. Huius enim in gratiam dum feudo se abdicat, non tam alienat feudum, quam comprehenso in prima inuestitura et condomino copiam vtendi fruendi feudo cedit. Quam ob caussam huic refutationem feudi sine consensu Domini fieri posse, et iuris Longobardici placita *II. F. 26. §. Titius*, probant, et veterum Germaniae prudentum auctoritas suffragatur. Ita habet responsum a Sculteto et magistratu Schaphusano, ad consultationem Rudolphi Comitis Habspurgici, quo pacto is in fratrem suum Gottfridum partem suam indiuisam Kletgouiae alienare posset, anno MCCCLXV. datum, ab illustr. DE SENCKENBERG ad STRVVII *Syntag. iur. feud. Append. IIII. p. 149.* prolatum: *Daß er mit seiner Handt* (suo arbitrio ac potestate) *thun solt vndt och wol getun*

getun moechte, wenn sy (fratres) *dieselbe Grafschafft in rechten Gemein mit einander von dem Roem. Kayser ze Lehn empfangen band.* De recentioris temporis vsu, post MYNSINGERVM *Cent. V. Obseruat. 65. n. 13.* testatur MEVIVS *Part. VII. decis. 247.* vbi: *In proximum agnatum,* ait, *sine consensu Domini feudum licite alienari communis ICtorum sententia tenet, et fori praxis obseruat.* Addit rationes: *quia talis venditio potius refutatio feudi, quam alienatio est, quae non eget Domini consensu, cuius nihil interest, dum feudum retinet vna inuestitus: tota quippe familia a primo adquirente descendens par ius ad feudum habet, electa est a Domino, et quisquis eius est, pro vasallo reputatur.* Quibus argumentis commotus BERGERVS in *Elect. Discept. for. tit 40. obs. 6. not. 2.* etiam in terris, quae Serenissimo Saxoniae Principi Electori parent, cessionem feudi, quae fit proxime successuro, non impetrato Domini consensu, defendit a poena feloniae, quam quidem Edictum anno MDCXXII. promulgatum et aliquoties repetitum statuit in traditionem feudi, non obtento re adhuc integra Domini consensu, peractam. Similiter Constitutiones in terris Brunsuicensibus, de prohibita feudorum

 aliena-

alienatione eiusque poena latas, haud pertinere ad alienationem, quae fiat in proximum agnatum, aut alias successurum, dixit Ill. DE SENCKENBRG. *Disquis. de Feudis Brunsuicens. et Luneburg. c. III. §. 35.* Quamuis tutius et rectius tunc quoque Domini consensum exorari fatendum sit cum BERGERO *l. c. quum multis modis Domini directi interesse queat, quo minus etiam proximus agnatus possessionem, ante impetratum consensum, apprehendat.* Multo itaque magis licitum est pactum, quo simultanee inuestitus emolumenta ex feudo percipienda, in euentum successionis, aliis se concessurum, ac modico fructuum contentum fore, pollicetur: de cuius pacti valore disputat LVDER. MENCKENIVS in *Dissert. de Feudo ex pacto cum simult. inuestitis alienabili, §. 20. sequ.* Et hoc quoque pactum inducit aliquam speciem feudi manualis; quoniam simultanee inuestitus, in feudo succedens, vi huius pacti est vasallus fere sine re, cessa aliis feudi vtilitate. Quare Ill. STRVBEN *tr. de bonis meierdingicis §. 11.* ex huiusmodi pactis explicationem repetiit *manus fidelis*, in adquisitione meierdingicorum bonorum extraneis necessariae. Cautionem in permittenda

tenda feudorum alienatione Dominis olim vſitatam, atque in illa bellorum priuatorum licentia ſane perutilem, vt venditor, tanquam *honorarius vaſallus*, dominii nexu permanéret adſtrictus, animaduertit ſupra laudatus SCHANNAT *Client. Fuld. benefic. Part. I. c. 2. §. 1. n. 2.* eamque obligationem quandoque extenſam fuiſſe, docet, in heredes, velut in *Probat. 108.* Engelhardus de Munſter profitetur: *das ich vnd myn Erbin doch von derſelben Gute wegin in Mannſchafft vorbundin ſin vnd bliben wollen vnd ſulln vnſerm obgenannten gnedigen Herren vnd Stift 'n alle Wyſe als ob wir die Vererbung nicht teten.* Vaſallos quoque, feuda ſua in fauorem tertii refutantes, aliquando ius vaſalli et ſucceſſionem ſibi reſeruaſſe, ſi tertius ſine ſucceſſoribus idoneis deceſſerit, obſeruauit SCHILTERVS *ad Ius feud. Alem. cit. c. 69. §. 2.* Effuſa quondam in eccleſias et monaſteria liberalitas ſaepe fecit, vt, quum vaſalli feuda quaedam illis cederent, interea vaſallagium ſine re continuarent, et feuda ceſſa ad fidelem manum tenerent, vsque dum, reſignatione in manus Domini facta, eccleſiae vel monaſterio, ſiue feudi ſiue proprietatis iure, a Domino concederentur: vt

luculenter perhibent chartae, quas ſupra ad explicandam formulam et naturam feudi manualis protulimus. Frequentiſſimus vero feudi manualis veteri noſtroque aeuo noſcitur vſus in *prouaſallagio*, cuius iura, iuuenili opera vtcunque delineata, nunc iuſta commentatione illuſtrata, Deo iuuante, propediem dabimus.

COROLLARIA.

I. *Poſſesſio ius in re non eſt.*

II. *Eandem rem duo in ſolidum poſſidere non poſſunt.*

III. *Feudo legato aeſtimatio debetur.*

IIII. *Feudum francum non eſt foemineum.*

V. *Pignus feudale ſine conſenſu domini eſt nullum.*

VI. *Feuda etiam ab incapacibus iuris feudalis acquiri poſſunt.*

VII. *Feudum ob omiſſam inueſtiturae renouationem non ſemper amittitur.*

VIII. *Feudum per procuratorem et dari et accipi poteſt.*

